

Hoc indultum reperies in cap. III, *De officiis Episcoporum*, titulo VIII.

5^o Delegandi benedictionem campanarum presbyteris, quandoque eam ipsi absque gravi incommodo perficere nequeant, sacerdotibus sibi bene visis, servato ritu pontificalis romani, atque adhibitis oleis et aqua ab episcopo benedictis; necnon etiam sine aqua ab episcopo benedicta, si gravis causa concurrat.

6^o Promovendi ad tonsuram et ad ordines tam minores quam sacros clericos etiam ex aliis provinciis studentes in seminariis hujusce diocesis, quos proprii Ordinarii virtute indultorum apostolicorum dispensaverint super ætate, super interstitiis, super irregularitatibus quibuscunque, exceptis bigamia vera et homicidio vero, vel ut ordinari valeant extra tempora aut ad titulum missionis.

7^o Constituendi sacerdotem cui munus sit eleemosynas a Christifidelibus oblatas pro missarum celebratione, earumque satisfactione dissitis etiam in locis prospicere, eidem sacerdoti assignata aliquanti parte stipendii in remunerationem pro sollicitudine et molestia.

8^o Utendi facultatibus, quibus ex apostolica auctoritate jam gaudet, ad dispensandum super impedimentis sive dirimentibus, sive impredientibus, etiam in casibus in quibus duo aut plura dirimentia, vel unum dirimens et alterum impediens, impedimenta concurrant.

Plures sunt aliæ facultates extraordinariæ quas Episcopi obtinent per indulta particularia, quæ videri possunt in variis curiis diocesanis.

32. Omnes illæ facultates episcopis concessæ erant, olim delegationes personales et aliis non delegabiles, nisi potestas eas communicandi fuisset concessa. Pluribus responsionibus Sancti Officii immutata fuit disciplina Sanctæ Sedis circa usum prædictarum facultatum.